

## PRÆFATI O.

mittendū, etiam si Adam lapsus nunquam fuisse, NIMHRUM ad dandam tandem immortalitatem ijs, quos ab initio etiā in statu innocentia Deus mortales considerat: nequaquam verò fuisse mittendum, ut pro mundi peccatis divinæ justiciæ solveret seu satisfaceret. Exaggerant in immensum, quod nec semel in Veteri Testamento, (vel in Novo Testamēto) extet vocabulum hoc SATISFACERE, (quo tamen ipsibil Ecclesiæ nostræ habeant in ore indeſinentius & creibius,) nec etiam res vocabulo illi analoga seu equalis. Si qui ex Prophetis veteribus in Messia per spiritum exultarunt; tamen illi secundum eorum opinionem tantum sciverunt, esse futurum in N.T. aliquem Messiam & ab hoc Messia, eosdem veteres in ultimo die resuscitandos, & vita eterna seu immortalitate donandos.

Deinde, quo ad N. Testamentum, et si fatentur in N. Testamento scribi pro omnibus hominibus N. T. Christum passum & mortuum esse; tamen hoc pernegrant, Christū passum & mortuum esse L O C O seu V I C E nostri, passum & mortuum, inquam, esse fatentur pro peccatis nostris. propter causas, quæmix sequentur: nequaquam verò concedunt, Christum divinæ justicie pro peccatis nostris satisfecisse. Similitudine suam opinionem declarant, quam Socini verbis recitatam infrà disputatione decima nona, thesi 62. fusiū cognoscet, nimirum de rege, qui subditos propter scelerā in insulam deportavit. Cum igitur subditi illi in rebelli animo perseverent, & spem redundi abjecerint, is mittit filiū, qui tamdiu in insula commoretur, & omnia mala istius insulae tolleret, donec aliqua perficerit, ex quibus, animum regis, si resipiscere velint, adeò placatū agnoscent, ut nō modā redditū patere credant, sed & sperēt, quod beneficiis à rege debeant affici. Sic quoque secundum ipsos Christus jussu Patrie venit in hunc mundum ad homines rebellēs & pertinaces, tanquā in insulā,

¶ 2